SOLLEMNIA DISPUTATIONIS PUBLICAE

PRO IMPETRANDIS MAGISTERII IURIBUS

D. XXVI APRILIS MDCCCXXXIV

A

CAROLO HENRICO ANTONIO TEMLERO
VIMARIENSI
PHILOSOPHIAE DOCTORE

HABENDAE

INDICIT

CAROLUS GOETTLINGIUS
ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. EXDECANUS.

Explicantur inscriptiones Acrenses III in Sicilia repertae ad Legem Hieronicam pertinentes.

IENAE
TYPIS GEORG. SCHREIBERI.

NAPOLI

Digitized by Google

Septuaginta annis post Syracusas a Corinthiis in Sicilia conditas in montes vicinos primam coloniam deduxerunt Syracusani, Acras dictam. Quod factum est Olympiadis vicesimae nonae secundo anno, quum Archias Evageti filius Corinthius Olympiadis undecimae anno quarto in insulam Ortygiam, occupatam a Siculis barbaris, Corinthios traiecisset. Sic enim plane Thucydides VI, 5: *Ἄκραι δὲ καὶ Κασμέναι ὑπὸ Συρακουσίων ᾠκίσθησαν, Ἄκραι μὲν ἑβδομήκοντα ἔτεσι μετὰ Συρακούσας, Κασμέναι δὲ ἐγγὺς εἴκοσι μετὰ Ἄκρας*, nihil ut possis dubitare de originibus oppidi. Tamen hoc nescio quomodo ita confudit O. Muellerus, V. D., ut Acras nonaginta post conditas Syracusas annis munitas esse diceret. V. Dor. I. p. 117. Situm erat hoc oppidum in montibus Siciliae asperrimis, nivosis adeo per hiemem, ut *tumuli glaciales Acrae* audiant Silio Italico (XIV, 270.), e quibus Anapus fluvius aquas suas in portum Syracusanorum maximum emittit: distat XXIIII milia pass. a Syracusis, L fere milia ab Enna, quo aliquanto post a Syracusanis deducta colonia est, XVII. mil. pass. a Neto. Ac videntur Acras et Ennam oppida eo inprimis consilio condidisse Syracusani, ut contra barbarorum incursiones aut per vallem Anapi aut per vallem Simaethi (ab huius fonte prope abest Enna) contra Syracusanos descendentium se tutarentur. Simul autem Acrae viam muniisse videntur ad occupandam planitiem, quae versus meridiem ad littus Siciliae spectat ab Himera flumine usque ad Hirminium. In hanc enim planitiem postea Camarina et Casmenae coloniae Syracusis deductae sunt. Trans Himeram ad Isburum usque amnem (Calatabellotae hodie nomen est) ager patebat Agrigentinus et postea sequebatur Selinuntius. Ipsos Agrigentinos Himera fluvio suum agrum ab agro Gelensium, qui a sinistra Himerae ripa versus orientem patuit, diremisse ingens leo lapideus, finium quasi custos *), testis esse videtur, qui etiamnunc e viva rupe vetusto et eleganti, ut

*) Similis est ei, de quo nuper *Bröndsted* narravit: voyages dans la Grèce. Livr. 1. p. 30. *Un ancien monument à un quart de lieue au nord de la ville est bien plus intéressant: c'est un lion colossal representé couché sur le flanc gauche — La forme du morceau de rocher dont il est composé a sans doute donné au sculpteur l'idée d'aider la nature.* Causam cur hic exsculptus leo sit, postea sic invenisse sibi visus est: Ie crois en avoir trouvé postérieurement l'explication dans un mythe que nous a conservé Heraclide de Pont. „Les nymphes dit il, habitaient anciennement cette ile riche en sources. Mais un lion les ayant effrayées elles s'enfuient à Caryste. Dela vient, qu'un promontoire de Céos s'appelle *le lion*."

ait Fazellus, artificio excisus, superstes est non longe a Calatanisetta urbe. Ipsae vero Acrae variam fortunam expertae esse videntur, modo a Graecis, modo a barbaris occupatae, ut aliquoties necessarium esse videretur novos immittere colonos seu aratores. Quod quando factum sit nescimus; id unum scimus Imperatorum Romanorum temporibus stipendiarios factos esse Acrenses cum aliis multis, etiam Ennensibus, cum Centuripini, Netini et Segestani latinae conditionis essent. (Plin. H. N. III, 8.). De tempore Romanorum aevo aliquanto, ut videtur, superiore, inscriptiones quaedam agunt a L. B. a Judica nuper Acris repertae, quas hic cum lectoribus communicabimus. Me enim cum amico ante hos sex annos in Sicilia peregrinantem, monitum ab excellentissimo principe di Trabbía Panormitano, antiquitatis Siculae studiosissimo, ut ne ea spectanda praetermitterem, quae Judicae effodisset industria, Terranova, quae non ita longe distat ab antiqua Gela, per montes confragosos in Palazzolum vicum iter duxit, ubi sub cacumine editi montis, qui etiam nunc nomen tenet *Acremonte*, *egregium Acrae iacet cadaver*, ut Fazelli verbis utar. Ex ipso monte Aetnam spectare licet fumantem atque in littus prospicere, hinc in orientem hinc in meridiem, ut vere Φρουρὰ Syracusanorum oppidum dici posset. Prae ceteris arx ipsa eminebat ex alto praeruptoque saxo. In ea puteus superest mirae profunditatis, qui quamquam in primis militibus limpidissimam aquam praebebat, tamen eo artificio erat excisus ut per quattuor aditus ab inferiori parte etiam civibus in ipso oppido ad pedes arcis habitantibus hauriendi commoditas esset. Porro effossum est odeum et theatrum; illud, si vere est odeum, simile est ei, quod Pompeiis detectum est: sedes enim eius, qui recitaret publice, non in medio e regione auditorum constituta, sed a sinistra manu audientibus. praeter haec inventa sepulcra et catacumbae, patellae, vasa fictilia, aenea et vitrea, sigilla et simulacra, caelata opera multaque alia suppellex, inprimis autem inscriptiones tam in στήλαις quam in tabulis perscriptae. Ex quibus tres hodie proferam nondum, quod ego sciam, editas:

I.

ΕΠΙΗΡΑ....ΤΠΟΣΕΙΔΙΟΣΑΦΡΟ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΙ ΔΑΙΚΡΑΤΗΣΑΡΙΣΤΟΞΕΝΟΥ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥΝΙΚΑΣΙΩΝΑΡΤΕΜΩΝΟΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΟΣΑΓΑΘΩΝΟΣ....Ε.....ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΤΡΙΑΚΑΔΑΡΧΟΙ
ΑΡΙΣΤΟΜΑΧΟΣΔΙΟΝΤΣΟΔΩΡΟΥΠΑΤΣΑΝΙΑΣΣΩΣΙΟΣ
ΔΑΜΑΙΝΕΤΟΣΑΤΚΩΝΟΣ ΤΠΟΓΡΑΦΕΕΣ
ΞΕΝΩΝΑΡΙΣΤΕΑ ΤΒΡΙΜΟΣΣΩΣΙΟΣ
ΝΙΚΑΣΙΩΝΦΡΑΙΣΤΟΥ ΦΙΛΙΣΤΙΩΝΣΩΣΙΟΣ.

II.

ΦΙΛΟΚΡΑΙΑΦΡΟΔΙΤΑΙ

ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΙ ΚΡΙΤΩΝ ΚΡΙΤΩΝΟΣ
ΔΙΟΝΤΣΟΔΩΡΟΣΣΩΠΙΤΡΟΤΕΠΙΓΟΝΟΣΕΠΙΓΟΝΟΥ
ΕΥΦΡΑΙΟΣΚΑΛΛΙΚΡΑΤΕΟΣ
ΤΡΙΑΚΑΔΑΡΧΟΙ ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΚΑΙΦΡΑΔΑΤΗΡ
ΔΑΜΟΚΡΑΤΗΣΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΕΟΣ ΠΥΡΡΙΧΟΣΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΟΥ
ΑΓΕΑΣΑΓΕΑ ΤΙΜΟΓΡΑΦΕΥΣ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣΑΓΑΘΩΝΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΗΣΦΙΛΙΟΥ
ΕΛΩΡΙΣΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΤΙΜΗΡΕΤΑΣ
ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣΑΡΧΑΓΑΘΟΥ ΑΡΙΣΤΟΜΕΝΗΣΣΩΠΤΡΟΥ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΣΔΑΜΑΤΡΙΟΥ ΜΕΝΕΚΡΑΤΗΣΣΩΣΙΟΣ
ΑΡΙΣΤΕΑΣΞΕΝΩΝΟΣ

III.

ΘΕΟΔΩΡΩΙΣ... ΘΕΜΙΣΤΙΤΩΙ...ΕΜΙΤΙΩΙ
ΘΕΜΙΤΙΟΤΟΑΦΡΟΔΙΣΙΟΝ ΑΙΣΧΥΛΩΙΔΙΟΝΤΣΙΟΥ
ΦΙΛΩΝΙΔΑΙΦΙΛΩΝΙΔΑΜΟΡΦΙΑΝΩ ΘΕΜΙΤΠΕΡΤΟΥΚΟΡΕΙΟΥ
ΘΕΜΙΤΙΟΤΟΚΟΡΕΙΟΝ ΦΙΛΩΝΙΦΙΔΙΣΤΟΥ
ΔΙΩΝΙΘΕΟΔΩΡΟΥ ΘΕΜΙΤΠΕΡΤΟΥΚΟΡΕΙΟΥ
ΘΕΜΙΤΠΕΡΤΟΥΚΟΡΕΙΟΥ Α.....ΕΟΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΩΙΗΡΑΚΛΕΙΟΥΔΑΒ ΘΕΜΙΣΤΙΠΑΥΝ.ΟΙΣ
ΘΕΜΟΠΙΣΩΤΟΥΚΟΡΕΙΟΥ ΑΡΧΕΔΑΜΩΙΦΙΛΩΝΟΣ
ΞΩΠΤΡΩΙΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ ΘΕΜ.ΕΤΙ.ΕΔΑ
ΘΕΜΟΠΙΣΩΤΟΥΚΟΡΕΙΟΥ ΙΕΡΩΝΙΦΙΛΩΝΟΣ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΩΙΠΟΛΥΞΕΝΟΥ ΘΕΜΙΣΤΙΚΕΛΑ
ΘΕΜΕΝΒΑΣΣΑΠΟΙΤΩΙΑΡΤΕΜΙΣΙΩΙ ΑΡΧΕΔΑΜΩΙ.Β.ΚΑΝΝΕΙ
ΘΕΜΙΣΤΙΦΡΗΤΙΟΙΣ ΘΕΜΙΣΤΙΛΑΜΙΑΣΜΑΣΘΟΙΣ
ΠΟΣΕΙΔΕΙΦΙΛΩΝΟΣ ΗΡΑΚΛΕΙΩΙΔΙΟΝΤΣΙΟΥΗΡΑ
ΘΕΜΙΣΤΙΦΡΗΤΙΟΙΣ ΘΕΜΕΝΔΡΙΕΙΚΑΚΚΑΡΙΚΟΙΣ
ΣΙΜΤΑΩΙΕΤΚΛΕΟΣΝΗΤ ΞΩΠΤΡΩΙΕΠΙΞΕΝΟΥ
.....ΙΟΥ ΘΕΜΙΤΙΟΤΑΝΠΤΑΑΝΤΑΝΣΕΑΙΝΟ
ΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΩ ΑΡΙΣΤΟΔΑΜΩΙΣΩΣΙΟΣ
ΘΕΜΙΤΙΟΤΟΑΦΡΟΔΙΣΙΟΝ ΘΕΜΙΣΤΙΛΑΜΙΑΣΜΑΣΘΟΙΣ
ΗΡΑΚΛΕΙΔΑΙΗΡΑΚΛΕΙΔΑΠΕ ΑΠΟΛΛΩΝΙΩΙΑΡΧΑΓΑΘΟΥ
ΘΕΜΙΤΙΟΤΑΣΘΑΛΑΜΑΣΠΟΤΙΤΩΙΟΙΝΩΙ ΘΕΜΙΤΙΟΤΑΝΠΤΑΑΝΤΑΝΣΕΑΙΝΟΥΝΤ
ΔΑΜΟΚΡΑΤ....ΙΔΙΟΥ

Primo titulo (vs. 1.) Ἐπὶ Ἡρα[κλείο]υ Ποσείδιος Ἀφρο[δίτας ἱερέος] decemur Acris eundem fuisse morem, qui, a Timoleonte ad imitationem Argorum Syracusis introductus etiam ab aliis deinceps Siciliae urbibus receptus erat, ut annus a primarii numinis sacerdote, seu maximo sacerdote, (Cicer. Verr. II, 52) nomen acciperet. V. O. Mueller. Dor. II. p. 162. Ebert. Sicel. p. 125. Sic titulus Gelous ἐπὶ ἱεραπόλου Ἀριστίωνος, titulus Agrigentinus ἐπὶ ἱεροθύτα Νυμφοδώρου τοῦ Φίλωνος, titulus Melitensis ἐπὶ ἱεροθύτου Ἰκέτα Ἰκέτου, alius Melitensis ἐπὶ ἱερείας Κλτιμοθέας (i. e. Κλαυδίας Τιμοθέας): de similibus in-

scriptionibus v. Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 606. Non mirandum est autem Veneris sacerdotem Acris maximum fuisse; haec enim dea in Sicilia omnium dearum maxime post Cererem et Liberam colebatur, atque quemadmodum Troezene et Halicarnasi Ἀφροδίτης Ἀκραίας (Pausan. II, 32, 6.) fanum exstructum erat ita etiam Acris Ἀφροδίτης Φιλάκρας aedes in arce erecta eundem paullatim honorem adepta est atque Corinthi, unde Syracusas, Acrarum metropolin, educta colonia est. Φιλάκραν dixi Venerem, quamquam in titulo II. perspicue legitur Φιλόκρᾳ. Sed ὄκρα pro ἄκρα antiquioris dialecti fuisse probatur iis quae congessit Blomfieldius ad Aesch. Prom. 289. Etiam Latini antiqui usi sunt *ocre* pro monte confragoso. V. *Festum.* v. *Ocrem.* Praeter Venerem Acrenses Cererem et Liberam, Dianam et Lamiam cum Auxesia *) venerates esse ex titulo III. coniicere licet. Post sacerdotem Veneris in primo titulo magistratus commemorantur et primum quidem I, 2 — 4 agoranomi quinque, II, 2 — 4 vero, quattuor. Hi agoranomi sunt aediles, quorum in Sicilia provincia suburbana mentio etiam a Cicerone (Verr. II, 55.), habetur; quos sequuntur triacadarchi et quidem I, 6 — 9 quinque (nisi, quod magis est probabile, Παυσανίας Σώσιος cuius nomen legitur v. 6. scriba fuit, ut vocabula γραμματεὺς καὶ ῥαδατὴρ post τριακάδαρχοι v. 5. excidisse temporum iniuria videantur), II, 6 — 12 vero septem. Quot vere fuerint non liquet quum in fine mutilus sit uterque titulus. Hos autem triacadarchos censores fuisse Siculorum non inepte mihi videor ex eo concludere quod τριακάσι i. e. triennis civium familiis et certo modo agrorum singuli erant praepositi. (Cf. Mueller. Dor. II. p. 82.). Scio quidem binos tantum censores in quoque Siciliae oppido commemorari a Cicerone (Verr. II, 53.), sed hoc erat ad Romanorum censorum imaginem a Verre, impudentissimo homine, contra ius Siciliae institutum. Hic magistratus propter magnitudinem potestatis summa ambitione a Siculis contendebatur videturque ad eum Romanorum temporibus officia curatorum tribuum pertinuisse postquam harum magna ab Romanis facta commutatio erat. Tribus autem seu phylae quae dicebantur antiquitus, *genera* civium a Romanis appellabantur. Sic Agrigenti duo erant genera, unum veterum civium, alterum colonorum, quos T. Manlius praetor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxerat Agrigentum; sic duo Heracliae, quorum alterum a P. Rupilio deductum erat. (Cicer. Verr. II 50.) Syracusis vero tres antiquae tribus, *genera* dictae a Cicerone (Verr. II. 51.) etiam Romanorum temporibus remanserant **). Propter hanc

*) Quod adieci Auxesiam, quamquam eius ne mentio quidem in titulo III facta est, rationem habet in singulari coniunctione, quae est utriusque deae. V. Pausan. II, 30, 5. 32, 2.

**) Zumptius ad h. l. „Nihil me unquam de civium tribus ordinibus legisse memini. Itaque puto da tribus urbis partibus intelligendum esse quoniam ne in quarta parte, Insula, cives Syracusani habitarent interdictum erat.“ Non recte. Nam vel sina Insula quadripartita urbs erat. V. *Goeller.* de situ et origine Syracusarum p. 37.

igitur mutationem a Romanis factam triacadarchi et civium certum numerum et certum modum agrorum curasse ita videntur, ut census coram ipsis fieret. In inscriptione II. 5 post triacadarchorum nomen sequitur γραμματεὺς καὶ Φραδατὴρ, qui est scriba et recitator legum, quali etiam Syracusani usi sunt (Cicer. Verr. II, 51.); post scribam denique commemoratur ὑπηρέτας seu accensus (Cic. Verr. III, 66. 68.). Tertio titulo, qui cum primo olim coniunctus fuisse videtur *) locorum quorundam et virorum continentur nomina. De utrisque agam seorsim. Virorum nomina primo putabam eorum esse, qui post eversam aliquando urbem Acrarum ex aliis oppidis eodem a Romanis deducti essent; sed magis verisimile est contineri hoc titulo nomina aratorum sive colonorum (Cic. Verr. III, 22.) tam Acrensium quam aliorum oppidorum, quibus a civitate Acrensi ager publicus isque decumanus in certum quoddam neque id breve tempus (Cf. Columell. I, 7.) locatus est a censoribus seu triacadarchis. Nam ΘΕΜ nota significatur Θεμέλιον, seu fundus, quem hic quidem non esse privatum sed publicum tam ex ipsa inscriptionis sententia quam e regionum nominibus ὑπὸ τὸ Ἀφροδίσιον, ὑπὸ τὸ Κόρειον cet. divinari potest. De agro autem Siculorum et de Hieronis lege, secundum quam decumae etiam Romanorum temporibus vendebantur, insignis est locus Ciceronis (Verr. III, 6.), quem totum adscribere longum est. Mitto praeterea alios locos, qui de lege hieronica agunt: unum proferam (III, 51) qui ad rem nostram plane pertinet: *lege hieronica numerus aratorum quotannis apud magistratus publice subscribitur:* atque ex eiusmodi tabulis censoriis, in quibus titulus noster habendus esse videtur, subscriptiones istas factas esse probabile est. Aratoribus igitur ab Acrensibus aedilibus et censoribus in certum tempus pars agri publici locata est sub ea condicione, ut et decumas secundum legem hieronicam, quae Romanorum temporibus in usum reipublicae romanae vendebantur, et locationis pactum pretium contribuerent. Aratores autem non solum sunt Acrenses, sed etiam ex aliis Siciliae urbibus ut divinare licet ex cognominibus. Sic III, 3 Φιλωνίδᾳ Φιλωνίδα Μορφιανῷ, qui unde ortus sit nescio; tamen pertinere hoc nomen ad oppidum aliquod Siciliae, nunc quidem incognitum, non potest dubitari, III, 7 pro Ἀρτεμιδώρῳ Ἡρακλείου Μαβ. sine dubio legendum erat Ἀ. Ἡ. Μακ. fuit igitur Macellensis; III, 16 in Σιμύλῳ Εὐκλέος Νητ. Netinum, III, 20. Ἡρακλείδᾳ Ἡρακλείδα Πε Petrinum, III, 37. Ἡρακλείῳ Διονυσίου Ἡρα. Heracliensem quis est qui non agnoscat? III, 34 legendum esse videtur Ἀρχεδάμῳ Ἀβακαινεῖ. In ipsis virorum nominibus notandum est primum Posidis, quod legitur I, 1. III, 14. atque componendum cum Ἕλωρις II, 8. et Σῶσις I, 8. 9. II, 11. cet. Idem

*) Titulus tertius non duas habet columnas, ut hic quidem per typographum exscriptus est, sed cohaerent haec omnia una eademque στήλη. Cohaesisse titulos I et III probabile esse mihi dixit *Don Domenico* doctus Palazzoli sacerdos.

Digitized by Google

Posidis nomen oblitteratum est apud Cicer. Verr. III, 42 ubi plerique codices habent Posidorus; nam multa eorum nominum in Sicilia vulgarium commemorantur etiam a Cicerone in Verrinis. III, 18 Ἀριστόγειτος legitur item II, 6. Noli igitur Ἀριστογείτονι corrigere. Difficilior res est de regionibus exponere quarum nomina modo a templis repetuntur, ut ὑπὸ τὸ Ἀφροδίσιον, ὑπὸ τὸ Κόρειον, ποτὶ Ἀρτεμιτίῳ, modo ab aliis vel urbis vel regionis monumentis. In his quidem habendum est (v. 13. 15.) ποτὶ Φρητίοις, intelligendum fortasse de puteis, quorum supra feci mentionem. Vs. 12. Θεμέλιον ἐν Βαλσαπόπτῳ Ἀρτεμισίῳ quid sit nescire me fateor. Fuit quum coniicerem scriptum fuisse ἐν ἄλσ. (i. e. ἄλσει) ἀπόπτῳ Ἀρτεμισίῳ: ἄποπτον quid sit de regione usurpatum docet Aristoteles Polit. II, 9. ὅπως μὴ ἄποπτος ἔσται ἡ Κορινθία ἀπὸ τοῦ χώματος. Cf. Lobeck ad Soph. Aj. 15. Vs. 32. 34. legendum esse videtur ποτὶ Γέλᾳ, atque fluvius huius nominis intelligendus ad cuius fontes in montibus vicinis ager Acrensis porrigebatur. In hac vicinitate fluvii etiam Aeschyli nomen (v. 25.) dignum est quod animadvertatur, quum tragicus Atheniensis in urbe Gela mortuus sit. Vs. 40. 44. Θεμέλιον ὑπὸ τὰν πύλαν τὰν Σελινουντίων mirum forsitan videatur propter situm Selinuntis ab Acris remotissimum. Sed quum tota regio quae inter Acrensem atque Selinusiam interiacet a Rhodiis colonis possideretur, verisimile est, portam lubentius cognomen duxisse a Selinuntiis qui propinqui erant Corinthiorum et cum Syracusanis etiam foedere coniuncti initio belli peloponnesiaci (Thucyd. VI, 6.). Vs. 21. Θεμέλιον ὑπὸ τὰς θαλάμας ποτὶ τῷ οἴνῳ, vs. 36. 42. Θ. ποτὶ Λαμίας μασθοῖς, vs. 30. Θ. ποτὶ πλυν[τ]οῖς et vs. 38. Θεμ ἐν ὁρίει καπκαρικοῖς nomina fuisse locorum nemo erit qui dubitet, sed causam originationis his quidem temporibus nemo facile inveniet. Καπκαρικοῖς primo putabam componendum esse cum καπκείοντες, καπκρύπτω, καπκορυφήν ita ut κατά praepositio lateret, nunc probabilius videtur καὶ Καρικοῖς corrigere. Ista autem Carica ubi fuerint et cur sic dicta fuerint me fateor nescire. Praeterea animadvertendum est τὸ ὁρίος.

Sed domum revertamur ex Sicilia, ab hieronica lege ad legem academicam. Indicenda sunt enim sollemnia publicae disputationis qua vir doctissimus

CAROLUS HENRICUS ANTONIUS TEMLERUS
Philosophiae doctor

d. XXVI Aprilis hor. XI commentationem suam *de cycloide* conscriptam publice defendet. Quibus sollemnibus ut benevole interesse velint Prorector Universitatis magnificus, Curator eiusdem splendidissimus, Professores et doctores clarissimi, Commilitones humanissimi ea qua decet pietate et observantia rogamus.

VA1 1544171

Digitized by Google